DE GLORIOSISSIMA
CHRISTI DOMINI
RESURRECTIONE
ORATIO

Habita v. *Kal. Maii* MDCCXXXIV.

IN SACELLO PONTIFICIO

Ad Sanctiſs. Dominum Noſtrum

CLEMENTEM XII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

A

MARCHIONE JOSEPHO LUCATELLI

MEDIOLANENSI

Collegii Nazareni Convictore .

ROMÆ, Typis Hieronymi Mainardi, MDCCXXXIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

BEATISSIME PATER.

MAximum beneficentiæ tuæ argumentum fuerat, BEATISSIME PATER, *me nulla eloquentia præditum de jucundiſſima hujus diei celebritate coram Te, auguſtoque ampliſsimorum Patrum conſeſſu dicentem excipere. Sed incredibilis humanitas tua beneficium hoc novi quoque beneficii acceſsione cumulavit; cum & illud impertita ſit, ut incultam orationem immortali tuo Nomini conſecrarem. Utinam pares humanitati tuæ gratias agendo ſufficerem, aut præſtantiſſimas tuas virtutes, & res*

a Te præclariſsime geſtas celebrandi mihi facultas tribueretur! Quanquam quid eſt, quod cuiquam novum, aut Te, tuiſque virtutibus ſatis dignum a me afferri poſſit? Præ oculis omnium eſt regalis illa magnificentia, qua Urbem cæterarum principem tot additis pulcherrimarum ædium ornamentis ad novum ſplendorem extuliſti: nemo ignorat liberalem munificentiam, quam in omnes fere omnium hominum ordines contuliſti: nemo non intelligit Te ſummam imperii auctoritatem cum peculiari erga omnes benevolentia ita conjungere, ut Princeps perinde, ac Pater dici poſſis, & merearis. Utinam Deus ipſe Sanctitatem tuam ad commune Eccleſiæ bonum, & populorum felicitatem diutiſſime ſervet incolumem.

ORA-

ORATIO.

QUæret fortaſſe aliquis quid cauſæ fuerit, cur Chriſtus Dominus tanto ſtudio ſuis Apoſtolis perſuadere contenderit, ſe jam devicta morte ad novam, immortalemque vitam eſſe glorioſiſſime revocatum. Cum enim illis ſæpiſſime apparuit, cum ſe palpandum obtulit, cum una cum ipſis cibos ſumere non recuſavit, cum denique quadraginta dierum ſpatio in terris commorari, & tandiu triumphalem Aſcenſionis ſuæ celebritatem differre voluit, quid aliud aſſequi cupiebat, niſi ut frequenti congreſſu, familiarique colloquio ſeſe redivivum teſtaretur? Magnum ſane Myſterium referat nobis D. Gregorius: Quamvis enim mediator Dei, & hominum cum adhuc in terris verſaretur, ſæpius immortalitatis præmium propoſuiſſet, quod illis poſt hujus vitæ curſum eſſet conſtitutum: cum tamen reſurrexit, id præ ceteris voluit eorum animis inſinuare, oſtendens deletum eſſe Chirographum mortis, quo ab omni ſempiternæ vitæ aditu longe arcebantur, & cœlum ipſum, quod primi parentis inſana cupidi-

D. Greg. Hom. 21. in Evang.

 tas

tas poſteritati occluſerat, iterum eſſe præclariſſima Crucis victoria patefactum. In hac enim immortalis vitæ cognitione, & Chriſtianæ Fidei robur, & Eccleſiæ propugnaculum poſitum eſſe intelligebat.

Quemadmodum ſæculi Principes Chriſtum capitali odio perſequuti fuerant, quem etiam crudeliſſimo ſupplicio eradere de terra viventium, ut nomen ejus non memoraretur amplius, non dubitarunt; ita omnem furorem in eos convertere ſtatuerunt, qui ipſius veſtigia ſectantes paternæ legis inſtituta negligerent, & in Cruce Chriſti Domini gloriarentur. Cum itaque divinus ſalutis noſtræ Parens infirmas hominum vires agnoſceret, novum quoddam, atque incredibile firmamentum in ipſis excitandum cenſuit, ut eſſent fortes in bello, & conſtantiſſime pro lege Dei ſui certarent uſque ad mortem. Neque enim ſatis in fidei conſtantia roboratos judicabat ex eo quod futuras cum immaniſſimis tyrannis dimicationes, & prælia prius denunciaverat, ut eo minus perturbarent venientia, quo fuerant præſcita, & tolerabilius mundi mala ſuſciperent, contra quæ per præſcientiæ clypeum muniebantur: viribus enim pene deſtitutus hominum animus, niſi in ipſa contentione,

Jerem. 11.

S. Gregor. Hom. 35. in Evang.

fu-

funeſtoque calamitatis adventu ſingulari præſidio confirmetur, fractus omnino decideret, & graviſſime perculſus dilaberetur. Quid autem ad fortitudinem conciliandam accommodatius, quam ut ipſis ante oculos perennis vitæ amplitudinem objiceret, quam poſt hujus luctuoſæ vitæ curriculum erant aſſequuturi? Quid diſcipulos ſuos in maximis periculis conſtitutos magis erigere poterat, quam ſi certiores faceret, momentaneum hoc, & leve noſtræ tribulationis æternum gloriæ pondus operari in cœlis? *Ad Corinth. 4.* Nihil enim tam acerbum, moleſtumque poteſt contingere, ut penitus afflicti, proſtratique jaceant illi, qui ſpe alicujus propinqui boni recreantur. Proponite vobis ante oculos Fidei noſtræ Propugnatores, ac Principes, videbitis illos inter immaniſſima ſuppliciorum genera ſingularem animi præſentiam, ac magnitudinem præſeferre: videbitis inter ſæviſſimos corporis cruciatus nec ipſam vultus ſerenitatem mærore aliquo obnubilari. Quod ſane barbaris ipſis ita inuſitatum videbatur, ut inter hujuſmodi ſupplicia voluptatem incredibilem non humanis viribus, aut alicujus ſapientiæ præceptis comparari poſſe, ſed impia quadam arte derivari putarent: ſtulta

ſane

ſane opinio: verſabatur illis ante oculos beatiſſima vitæ conditio, quam Præceptor amantiſſimus ſequentibus ſe patefecerat, cum terrenis vinculis ſolutus ad immortalitatem reſurrexit. Hac jucundiſſima ſpe recreati ibant gaudentes a conſpectu Concilii, ut mererentur accipere coronam vitæ. *Act. 5.* Hinc omnes cruciatus corporis, & omnia pericula ſubibant alacres, ut tandem in illa ſempiterna luce collocati virtutis ſuæ fructum, & rerum fortiter geſtarum mercedem ampliſſimam conſequerentur. O præſtantiſſimum igitur, quod in Eccleſiam ex redivivo Domino manavit firmamentum! Quî enim inter tot certamina, & aſsiduos gentium barbararum impetus ingenti motu labefactata non corruiſſet, niſi futuræ immortalitatis ſpe tamquam clypeo muniretur, quo vires hoſtium perfringeret, & mortifera tela longe propulſaret? Jam vero illud ad conſtantiam magis in periculis firmandam quanto præſtantius accedit, quod noſtri generis Reparator tam novum, ac cæleſte vitæ genus ingrediens mortem ipſam, quæ fortes etiam viros perterret, omni prorſus formidine ſpoliaverit! Mortem olim naturæ perniciem homines nuncupaverint, eamque veluti ultimum terribilium exhorruerint,

runt; nunc autem quis morte contriſtetur, niſi ii, qui ſpem non habent? Quis mortem odit, aut timet, quæ nos in admirabile gloriæ lumen, perpetuamque educit beatitudinem? Quod ſi mortis acerbitatem nonnulli veteres Philoſophi ea ratione plurimum imminuerunt, quod ſingulari ejus beneficio de hac vita, tanquam de hoſpitio aliquo calamitatum demigramus; nonne mortem eandem optabilem, ac pene jucundiſſimam reddidit Salvator noſter, cum per illam iter nobis oſtenderit ad vitam bonis omnibus circumfluentem, quæ nullis finibus continetur, ſed cum ipſa æternitate adæquabitur? Quid mirum itaque ſi Apoſtolus, aliique plures terreno carcere diſſolvi cupierunt, tantoque futuræ vitæ deſiderio rapiebantur, ut mortem votis etiam conceptis implorarent? Quid mirum ſi tot invictiſsimi martyres in ipſo ætatis flore pro fide, ac religione tuenda in ultimum capitis diſcrimen vocati nulla mortis formidine commoverentur, & cum ferrum eorum cervicibus immineret, lætiſsimum vultum oſtenderent? Nihil erat ſane, cur mortis aſpectu turbarentur, cum per illam ſe quamprimum futuros cum Chriſto ſperarent, & longe, lateque meliorem vitæ ſtatum,

quam

Digitized by Google

quam quo viventes fruebantur, invenirent. O ſingularem erga nos divini Reparatoris benevolentiam, qui, ut luctuoſis calamitatibus afflictos erigeret, & inter graves conflictationes noſtris viribus diffidentes in propoſito fidei ſolidaret, beatiſſimam vitam, & futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis hac lætiſſima die a mortuis reſurgens patefecit! Itaque ſpe tam certa erecti, diviniſque cumulati muneribus, quæ ſurſum ſunt, quæramus aſsidue, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper terram, unice ſapiamus.

Ad Rom. 8.

Ad Coloſſen. 3.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Digitized by Google